

buit, Baron. an. 1001. et 1002. Pari perfidia multi promittunt et volunt converti: sed nondum, adeoque nunquam, donec miseri pereant.

III. Est avis stulta. Scribit enim Plin. l. XXXV. c. IV. corvos ad pictam domum tegularum similitudine deceptos advolasse, et dum quasi in tecto considerare vellent, capita imegisse. Idem faciunt procrastinatores, considerare et quiescere volunt certo aliquo tempore ad penitendum quod sibi fingunt, et nondum est, nec forsitan erit, ad minimum est incertum: Forsitan enim, ait S. Ambros. l. de pœnit. c. XXVIII. hoc quod aut primum putatur, aut medium imminentis occidui meta jam limitat, estque debitus finis indignantis Domini ex conversionis tarditate vocatio. Subito enim veniet ira illius, ait Eccles.

Nonne vero stultum est determinare aliquid et disponere in re, quæ tuæ potestatis non est? Quid enim illud Domini: Non est vestrum nosse tempora vel momenta quæ Pater in sua posuit potestate? Act. I. Aman in crastinum invitatus a regina, fingebat sibi in animo magnificentissimum et jucundissimum convivium cum rege peragendum; jactans insuper se: Apud quam etiam cras pransurus sum, Esth. V. Sed ibi contra omnem expectationem suam regis iratum vultum vidit et furcam reperit. Hinc ille, qui in annos plurimos se victurum ad fruendum bonis suis dictitabat, sequente nocte audit: Stulte hac nocte animam tuam repentem a te, Luc. XII. Deinde non stultum est, cum possis hostem hodie ejicere velle cras ejicere? Sic desipuit Pharaon cum vexatus undique a ranis et interrogatus, quando ab his insectis vellet liberari, respondit: Cras, Exod. VIII. Stulte tantum fœtorem, horrorem, clamorem ranarum non vis tolli statim? Hodie si vocem ejus audieritis, Ps. XLIX. dicitur, nolite obdurare corda vestra. Denique, quis non velut stultum arguat eum, qui cum fascem lignorum oppido gravem attollere in humeros nequeat, ligna plura ad fascem addit? Hujusmodi hominem inter alia monstravit angelus Arsenio, et addidit idipsum agere mortales qui oneri peccatorum suorum importabili nova in dies adjiciunt peccata, ut in ejus vita.

IV. Est avis funesta, quia cadavera amat et patibula. Patet idem ex somnio Josephi prædicto, in quo crucem pistori, pabulantes in ejus capite corvi denuntiabant. Significat ergo procrastinatorem prope desperatum et morti æternæ propinquum. Funesto hujusmodi vaticinio indicabat corvus civitati Ninive interitum et ruinam, Soph. II. eo quod vilipenderet et irrideret Dei comminationes: Vox cantantis in fenestra: corvus in superliminari quoniam atte-

nuabo robur ejus, q. d. destruam eam per Chaldeos, ita ut corvi ibi habitent; vel quod corvi jam ibi crocitantés illi denuntiant. Horum instar, qui cantando cras, cras, emendationem vitæ et sana consilia procrastinant, et de die in diem differunt, funestum interitus non aliorum, sed in judicium præbent de quibus S. Aug. ser. XVI. de verbis Domini ait: Ipsa res est, qua multas occidit, cum dicunt: Cras, cras, et subito ostium clauditur. Remansit foris cum voce corvina, quia non habuit gemitum columbinum. Qui semel incidit in Judæos creditores, proximus est stipi, quia quo diutius Judæo non solvis, eo difficilius; siquidem etiam usuras usurarum solvere, sicque tandem omnino bona sua cedere ei cogitur. Ita qui diu in peccatis hæret, semper auget debitum, et reddit se indigniorem remissione, Deumque magis et magis irritat. Dæmon velut aranea captam muscam multoties gylando filis suis implicat. Habitus peccandi augetur, uti clavus tot ictibus magis magisque parieti infigitur. Hujus rei terribile exemplum scribit in vita S. Burgundoforæ abbatissæ, in monasterio Evoriacas, ven. Beda, tom. III. his verbis. « Aggressus deinceps duas ejusdem cœnobii sorores antiquus hostis, quas noxiores, ac multo imbecilliores conversatio reddebat, primum ad hoc impulit, ut nulla hora veram deprecarentur confessionem. Erat enim consuetudinis monasterii et regulæ, ut ter in die per confessionem unaquæque earum mentem purgaret, et qualemcumque rugam mens per fragilitatem attraxisset, pia proditio ablueret. In talem igitur labem mentes prædictarum puellarum diabolus merserat, ut nulla confessio vera prodiret ab ore, seu eorum, quæ in sæculo commiserant, seu quotidiana fragilitas attrahebat, in cogitatione, in sermone, vel operatione; cumque tethifer anguis paulatim corda obdurando virus suæ malignitatis infundisset, et mentes earum in omnibus parere comperisset, tunc suggestit eis, ut quadam nocte extra septa monasterii progressæ fugam aspererent, et ad propria remearent. Hoc itaque apud se deliberato, cum per densam noctem abirent, nec prorsus pro densitate caliginis viam tenere quivissent, asstitit ad lævam diabolus, ac lumen in modum lucernæ arte, qua valuit, assimilans, tergiversationi vires auxit, monstrans reducem ad sæculum viam. Postquam autem pervenerunt ad locum destinatum, subsequentibus inquisitionibus ad cœnobium suum rugata fronte regressæ sunt, ubi dum a matre monasterii B. Burgundoforæ aliisque sororibus diligenti scrutamine percontarentur, quæ causa coegisset eas discedere,

respondent se telis diaboli fuisse stimulas, et ideo mentes nequaquam habere posse directas. Cum itaque multum ab omni congregatione objurgarentur, nec tamen aliquid hujusmodi proficeret in eis objurgatio, divinæ ultionis gladio percussæ, ambæ meritas pœnas persolvere. De tanto vero eventus lue vehementer anxia mater monasterii, hortatur eas indesinenter, ut vel adhuc inter supremas horas constitutæ facinus suum pandant humili confessione, sed obdurata corda nihil remedii capere valentia, inter flagella clamare ceperunt: Sustinete paululum, sustinete, nec prorsus expectantes arguite. Inquirentibus ergo quæ aderant sororibus, a quibus sustinere rogarunt, aiunt illæ: Non aspiciatis turbas Æthiopum adventantium, quæ nos rapere et abducere volunt? Inter hæc auditus est fragor maximus supra cellulam, et tegumenta personans, ostiamque cellulæ vi patefactum est, ita ut nigrescentes umbras astantes cernerent, et clamantes eas nomina febricitantium sororum audirent, adeo ut vix quæ aderant signo crucis armatæ, et psallendi officio detentæ valerent adstare. Tanti doloris ac mœroris eventu anxia mater Burgundofora, urget in extremo constitutas, ut vel adhuc per confessionem pandantur vitia, et sacramento corporis Christi animæ roborentur. At illæ ut infelices, et a diabolo penitus possessæ audita sacri corporis mentione, garrire, dentibusque frendere ceperunt, et stridentes dicere: Cras, cras, et iterum supradictam vocem repetere. Expectate, sustinete paululum, sustinete. Inter quas voces extremum halitum dimiserunt. Quas cum in collegio cœterarum sepelire mater monasterii beata Burgundofora nequaquam ratum duceret, segregatim humandas, ac in extremo loco cometerii sepeliendas fore jubet: super quarum tumulum globus ignis in modum clypei intra triennium crebro apparuit, maxime quadragesimæ diebus usque ad adventum s. paschæ, vel etiam ante vigiliam natalis Domini ferventius apparebat, simulque voces tumultuantis turbæ multæ personabant. Inter quas duæ ululantes erumpebant velut in tormentis resonare solent: Væ mihi, væ mihi, væ mihi. Cernens itaque prædicta mater monasterii, sententiam a justo iudice super injustas animas illatam, manifestius damnatarum, sententiam est aggressa comperire, accedensque ad tumulum experimento quærit, si cadavera quamvis putredine corrupta in sepulcro manent. Jam mensis, ex quo defuncta corpora fuerant condita, præterierat: et ecce reperit interius sepulcrum igne exustum ne quidquam

superesse cadaveris, præter favillæ vestigium. Mansit ergo per triennium illatæ sententiæ tanta severitas, ut error damnatarum timorem præberet sodalium remanentium, essetque correptio viventium illata pœna mortuarum et ex negligentia imo duritia mentis pereuntium salus propagaretur superstitum.

Quare, auditores, cum videamus quam noxiæ ac periculosæ sint hæ volucres, servate diligenter in corde vestro semen propositorum et instinctuum honorum. Ac si illæ advolare velint, imitami Abrahamum, quia aves ad sacrificium suum (id erat victima animalium, ad sancendum fœdus cum Deo, mactatorum) advolantes abigebat, Gen. XV. Erant illæ procul dubio etiam corvi, quia ipsi potissimum et præ cæteris avibus insidiantur carnibus et concisis. Baculum igitur apprehendite firmissimi statuti, hodie penitendi, hodie inchoandi vitæ emendationem.

CONCIO V.

ALEARUM ET CHARTIFOLIORUM LUDI PERICULOSI.

I. Quia lusores cadunt secus viam. — II. Cadunt supra petram et exarescunt. — III. Cadunt in spinas.

THEMA.

Exit qui seminat semen suum. Lucæ VIII.

Doctorum sententia est, Satanam esse Dei simiam: quod ostendere quidem ex multis possemus, sed unum nunc sufficiat nobis. Marci V. interrogat Christus dæmonem in obsessio homine: Quod tibi nomen est? Cui dæmon: Legio mihi nomen est, quia multi sumus. Legio continet milites 6666. Nimirum noverat dæmon Deum appellatum Dominum exercituum, idcirco etiam ipse producere vult exercitus. Et quemadmodum Deus educit suos angelorum et hominum piorum exercitus ad evertendum regnum Satanæ; ita simia illa, suo etiam, quo potest, modulo educit suos exercitus, dæmonum aliorum et impiorum hominum ad subvertendum regnum Christi. Vidimus ante octiduum quomodo mittente Deo operarios in vineam suam, mittat etiam ipse suos operarios, saltatores scilicet, in Sodomiticam vineam suam. Vidimus paulo ante quo modo seminante Deo bonum semen in agro suo, supervenerit etiam ipse, et seminarit zizania in medio tritici. Non dubitandum ergo, quando audimus hodie cœlestem iratum agricolam, seminare in agro suo semen bonum, seu homines bonos: prodire etiam Satanam maxime hoc

tempore insanientis mundi, et seminare in suo agro; et quid nisi zizania et semen malum? Quinam vero isti? Inter alios, quos jam retulimus, vel adhuc referamus, certe sunt aleatores; qui et ipsi magistrum suum sedulo imitantur. Seminant enim plenis manibus pecunias ad aleas et lusorias chartas, qui forte in sinum pauperis non seminarent duobus digitis. Mali seminatores, malum et ipsi semen. Incidunt enim non in terram bonam, sed in viam, petras et spinas, ut videbimus.

Sciendum est imprimis non damnari omnes ludos: ac primo, non damnantur liberales, qui ad exercitium corporis, aut honestam recreationem non pro lucro fiunt. Quales, l. III. c. de aleatoribus recensentur, hi sunt, cursus, saltus, vibratio, quintiana, (i. e. hastiludium absque spiculo) lucta et hippodromus.

Secundo, non damnantur qui plus artis et ingenii, quam fortunæ habent qui tales instituuntur pro ingenii exercitio, non pro lucro. Sed illi qui plus fortuna, quam arte reguntur, qui communi nomine aleæ appellentur, damnati olim fuerunt. Unde patet, quanto meliores fuerint mores illius ævi, quam nunc sint. Jam per contrariam consuetudinem obligatio illa cessavit.

Tertio, non damnantur nunc, saltem communiter, etiam fortunæ ludi, si ad recreationem mentis pro modica re fiant, cujus lucrum vel perditio neutri multum prodest aut obest; modo hæc tres conditiones adsint: ut ludentes liberam habeant dispositionem rei, quam in ludum deponunt, et alter alterum fraude, minis, conviciis, ad ludum non pertraxerit; et non utantur fraudibus contra leges ludi.

Quarto, si non diu nimis continetur: *Parum delectationis sufficit ad vitam, sicut parum salis sufficit ad condimentum cibi*, ait Aristot. IV. eth. c. IV.

Quinto, si non minis frequentetur: alioquin enim inescabit et capiet hominem, ut nil nisi ludos cogitet; quod grave malum foret. In hanc rem Cicero, l. I. offic. ait: *Ludo et joco uti quidem licet, sed sicut somno et quietibus cæteris*. Non multum indulgendum somno, multo minus ludo.

His igitur exceptis, aleatores alios merito et damnamus et arguimus.

I. Tales enim seminant, seu, ut, explicat Dominus, seminantur secus viam, quando non jam pecunia, pro qua luditur, quam lusores ipsi cadunt, conculcantur et devorantur. Cadunt communiter in peccata, quemadmodum aves ex arboribus cadunt in substratam aream, ubi latente reti ab aucupe capiuntur. Cadunt sæpe

in fraudes et dolos. Sicut enim loquaces et garuli labuntur sæpe in mendacia: ita lusores sæpe in dolos et fraudes. Hostes namque sunt collusores mutuae pecuniæ, atqui *dolus an virtus, quis in hoste requirat?* Cadunt in mendacia et perjuria; quia sæpe incidunt controversiæ, dubia, obliviones verborum aut jactuum, mutationes foliorum. Unde mendacia et perjuria necessario sequuntur. Id quod frequentissime faciebat C. Caligula imp. nequissimus, et sic auctoritate sua oppressit collusores, ut plus mendacio atque perjurio, quam arte lucraretur, teste Suetonio. Cadunt in injurias, dum iniquo lucro parta non restituunt, vel perditæ, quæ sponderunt, non exhibent, saltem integre vel ex alieno et rapina persolvunt: quemadmodum de Samsone legimus, Judic. XIV. Hic enim cum sodalibus ænigma propositum solventibus promississe triginta sindones, et totidem stolas seu tunicas, illique id solvissent, percussit ex ipsis triginta viros, et accepit vestimenta eorum, deditque stolas iis, qui solverant problema (ut habent Septuaginta interpret.) En ex cæde et rapina dissolvit Samson debitum, et nonnisi stolas, sindones non solvit.

Conculcantur ab hominibus: quia fiunt contempti et infames ejusmodi lusores. Videat quis lusores in publicis foris aut ædibus lusoriis, non inveniet nisi caculas et vulgificem, perditos, et infimæ sortis homines. At ludunt etiam honesti viri inter privatos parietes? Hoc ipsum signum est, non esse rem valde honestam ludere eos ludos, qui abjectæ plebi usitati sunt. Ipsa hoc natura docet. Deprehendat enim pater ludentes aleis filios, magister discipulos, dominus servos, statim illi suffusione aliqua corripientur et cessabunt. Soli inverecundi, uti milites et similes, non erubescunt. Id quod bene notavit S. Joannes, cum scribit sortem missam fuisse supra Christi tunicam nonnisi a militibus: *Et milites quidem hæc fecerunt*, ait, quasi dicat: Honesti viri hoc non fecerunt, ut crucifixo adderent hanc contumeliam, sed impudentes milites. Tales describit S. Ambrosius, l. de Tobia, fuisse Hunnos, qui arma tantum et aleas gestabant, eisque victum quærebant. Quod rapiebant, aleis subiciebant: quod si id perdidissent, iterum rapiebant. Chilon Lacedæmoniis jungendæ societatis causa Corinthum missus, cum principe civitatis in alea occupatos invenisset, statim infecto negotio rediit, dicens: Nolle se gloriam Spartanorum, tum quidem clarescentem, ea maculare infamia, ut diceretur Spartanos cum aleatoribus societatem iniisse, Platina, l. I. de optimo cive.

Tertio, devorantur a volucris cæli. Hæc ex Christi interpretatione sunt dæmones. Qui sane

devorant lusores, quando eos ludendi cupiditate captos et occupatos quasi absorbent, et mancipia sua faciunt. Si enim *omnis, qui facit peccatum, servus est peccati*, multo maxime id verum est in lusore isto postquam in assuetudinem transiit. Unde Plato adolescentem alea ludentem graviter increpavit. Cumque is dixisset: *Sic obijurgas ob rem parvam?* At *parum non est*, inquit, *assuescere*, Laert. l. II. certe tantum est, ut etiam instante morte nonnisi aleas et ludos cogitent. *Novi quemdam virum nobilem* (inquit Mirat. Delrio, l. p. adagialium, adag. CDXLV.) *et dignitate conspiciam, lusorem tota vita, ad extremum usque spiritum jussisse chartas lusorias adferri, ut cum ipse jam nequiret, alios ludentes aspiceret*. Frustra ergo aut temere saltem dicunt tales se morte instante penitentiam acturos. Quod enim nunc agunt, id tunc agitant. Quando deberent dicere: Vocate sacerdotes, dicent: Vocate lusores. Pro pio libello chartas, pro communionem aleas petent. Quin etiam post mortem, si fieri posset, adhuc ludere vellent, ut patet exemplo illius architecti, ludis dediti qui pro erectione columnarum in foro S. Marci Venetiis aliud munus non petiit, nisi ut inter eas liceret ludere quibuscumque sive juste, sive injuste; si tamen fides danda erranti in fide Munterio in cosmogr. Nequior adhuc fuit aleator ille moriens qui (quasi parum fuisset vitam lusibus transegisse) testamento religiose cavuit, ut detraheretur mortuo sibi pellis, et ex ossibus ejus tessere fierent, ex cute vero mensa lusoria, alveolus et fritilla quanta fieri posset diligentia, Paschasio Justo auctore, l. I. de alea. Nonne quod de ebriosis dicit Isaias, c. XXVIII. *Absorpti sunt a vino*, dici potest de his: Absorpti sunt a ludo.

II. Seminantur, et cadunt super petram, et in ea ob defectum humoris exarescunt, primo, quando ipsi lusores incidunt in paupertatem; sic enim pro pane, quem quærebant ludo, lapidem inveniunt, et famem in domo sua. Sive lucrentur, sive perdant, satiari nequeunt, et ita tandem novercante fortuna exuuntur rebus suis, et quod intolerabile, sæpe usque ad vestes: dum spe mutandæ fortunæ assurgere rursus sperant. Mediolani quidam alea exhaustus, cum non aliud nisi domum rusticam haberet, nec eam quivis ob soli sterilitatem emere vellet, tegulas divendit, et domum pluvis perviam reliquit, quo lusum continuare posset, auctor Paschasius, cit. ibid. Nonne igitur satius est in prædones, quam in lusores incidere? Illi enim saltem vestes aliquas spoliato solent relinquere, non isti. Quinimo S. Bernardinus Sennensis, serm. XLII. quadr. ait: « Didici a fide digno

relatore, quemdam dum cætera amisisset in ludo quodam, luisse et perdidisse dentes, atque sibi extrahi cum patientia sustulisse. Alium quoque bis in ludo luisse et perdidisse uxorem, illam quoque voluisset tradere vincenti, nisi custodia fuisset a quibusdam mulieribus timore Dei. » *En* quam radix omnium malorum sit cupiditas, I. Tim. VI. Imo ad extremum suam libertatem aleæ committunt, et victi ad triremes eunt, ut testatur idem Paschasius. Ita olim Germani, qui libertatem suam aleis exponerent, victi se ligari et vendi patiebantur, Alex. lib. III. c. XXI.

Secundo, inde sæpe ad furta, ad rapinas convertuntur; tanta est hujus cupiditatis tyrannis. C. Caligula imp. alea ludens quodam tempore, proximo collusori demandata vice sua progressus in atria domus, cum prætereuntes duos equites Romanos locupletes vidisset, sine mora corripit confiscarique jussit, tum exultabundus ad collusores rediit, glorians se nunquam superiores alea luisse, Sueton. De privatis hominibus frequentia sunt exempla. Unum vide in virid. reg. Val. Leuchtii, l. de mirac. hist. LXIV. de studioso Bambergensi nomine Simone, qui, cum lusu etiam vestes perdidisset, opera dæmonis, s. eucharistiæ (quam ad ægrum deferri casu vidit et concupivit) pyxidem e templo S. Martini rapuit. Quo facto Forchemium veniens a canibus infestatur et mordetur, donec reum se prodatur, unde Bambergam reductus per civitatem raptatus, post ad scalam in foro ligatus, tertio die pœnitens expiravit, anno 1314.

Quinto, sæpe etiam ad extremum in desperationem aguntur. De quo audiamus iterum S. Bern. serm. cit. « Quot, inquit, audivimus ex ludo etiam nostris temporibus desperatos? In Mutina, quæ est civitas Lombardiæ, tria miracula audivi a quodam fide digno sacerdote qui hæc omnia per experientiam novit. Retulit enim mihi novissime virum unum, qui ex illa amissione denariorum in ludo ter semetipsum suspendit, sed primis duabus vicibus, quibusdam sibi succurrentibus mortem evadens, in tertia suspensione damnatus est. Aliud quoque se vidisse ait, qui ex eadem causa desperatus, misit de sero uxorem dormitum cum filiis et filiabus suis, demum in inferioribus domus suæ lignorum multitudinem congregans posuit ignem super uxorem et filios et filias, ut omnem substantiam domus suæ atque secum eis simul incremaret, sicut demum confessus est. Quod et factum fuisset, nisi a casu, viro quodam transeunte per viam ad remedium totam viciniam convocante contra ignem divina misericordia succurrisset. De alio quoque dixit, quod cum ex desperatione consilii casu animam

diabolo tradidisset, etc. cum mœnia civitatis ad excubias ascenderet, subito adest ei dæmon in gryphonis effigie atque terribili insultu arripiens ejus scapulam, eam crudelibus unguibus transfoavit, etc. » qui tamen Dei misericordiam implorans dimissus, abiit ad sacerdotem, (qui hæc S. Bernardino narravit,) eique vulneratam scapulam ac terribiliter foetentem ostendit, et facta peccatorum confessione post biduum e vita excessit.

III. Seminantur, et cadunt inter spinas, quia communiter dum fortuna illis adversatur, incidunt. Primo, in iram et insaniam, adeo ut chartas dentibus lacerent, et quasi canes in lapides morsum infigant. Perdere enim amarum est. Unde in perpetuis spinis sedent, dum ludunt, metuentes rerum suarum jacturam, adeoque plane stulti sunt, dum anxiam vitam eligunt, cum possint habere quietam.

Secundo, incidunt in rixas et contentiones, levi verbo provocati, dum in fervore sunt, et maxime cum sinistro eventu ludunt. Exempla sunt tam frequentia, ut non opus sit adducere. Anno 1609. in Anglia filius baronis Warthonis Joannem Stuardum Angliæ regis cognatum in lusu mendacii arguit, ideoque a Stuardo colaphum accepit. Tum prope Londinum ad duellum se provocarunt, in quo ambo mutuis vulneribus confecti, et post in eodem sepulcro conditi sunt jussu regis. Hic exitus tam nobilium juvenum, Eman, de Metern. l. XXIX. hist. Belg.

Tertio, incidunt ad extremum non raro in blasphemias, et consequentem Deicorrectionem. Notum puto illud, quod M. Fritschius, in meteoris scribi, de duobus aleatoribus, qui Budæ Pannoniæ urbe convenerant, ut alter in Dei, alter

in diaboli nomine luderet. Qui in Dei nomine lusit, pecuniam omnem unam cum vestibus amisit. Nocte igitur domum rediens per cœmeterium, saxum arreptum in imaginem crucifixi coniecit, et in frontem allisit, unde et sanguis mox profluxit. Eo facto vicinus quidam lanio podagricus monitus ter in somno, ut surgeret, et obviam proximum confoderet. Paruit tamen et surgens sanatum se deprehendit, cultro igitur lanario armatus foras prodit, et aleatorem sibi obviam factum cultro confixit. Mox rem magistratui indicat, quo adveniente dæmones cadaver aleatoris in præsentia adstantium cum ululatu in sublime raptum abstulerunt. Quæ res propter vulnus crucifixo inflictum lanionem a periculo liberavit. Videtis qualem tandem ludum ludat cum lusoribus suis dæmon? Ad tartarum eos evehit, et ibi quomodo cum eis ludet?

Quid igitur, si tam periculosus est hic ludus, quid agendum? Seminandum in terram bonam, pecunia in pauperes potius, quam in aleas spargenda est, ubi fructum faciet trigesimum, sexagesimum, centesimum. *Qui enim seminat in benedictionibus, (i. e. largiter) de benedictionibus et metet, ait apostolus. Qui dant malis, triginta; qui bonis, sexaginta; qui optimis, religiosis scilicet pauperibus, centesimum metent.* Quod si tamen omnino seminare etiam in ludos volunt, ea ratione possunt si luerum omne non in suum marsupium recondant, sed pauperibus deputent ac distribuunt; quo pacto non difficile permitterent eis lusum qualemcumque tandem. Hoc enim ludo, nisi aliunde vetitus esset, sperarem eos lucraturos regnum cœlorum, quod et ipsis et vobis omnibus opto.

DOMINICA QUINQUAGESIMÆ.

EVANGELIUM. LUC, XVIII.

In illo tempore, assumpsit Jesus duodecim discipulos suos et ait illis: Ecce ascendimus Jerosolymam, et consummabuntur omnia, quæ scripta sunt per prophetas de Filio hominis. Tradetur enim gentibus, et illudetur, et flagellabitur, et conspuetur: et postquam flagellaverint, occident eum: et tertia die resurget. Et ipsi nihil horum intellexerunt. Erat autem verbum illud absconditum ab eis: et non intelligebant. Factum est autem, cum appropinquaret Jericho, cæcus quidam sedebat secus viam mendicans. Et cum audiret turbam prætereuntem, interrogabat quid hoc esset. Dixerunt autem ei, quod Jesus Nazarenus transiret. Et clamavit dicens: Jesu, Fili David, miserere mei. Et qui præibant, increpabant eum ut taceret. Ipse vero multo magis clamabat: Fili David, miserere mei. Stans autem Jesus jussit illum adduci ad se, et cum appropinquasset, interrogavit illum dicens: Quid tibi vis faciam? At ille dixit: Domine, ut videam. Et Jesus dixit ei: Respice, fides tua te salvum fecit. Et confestim vidit, et sequebatur illum, magnificans Deum: et omnis plebs, ut vidit, dedit laudem Deo.

CONCIONES.

- I. Qua ratione peccatores hoc tempore Christo passionem suam renovent.
- II. Stultitia et cæcitas ebriorum, saltatorum, aleatorum.
- III. Causæ cæcitatæ spiritualis, quæ est inconsideratio novissimorum.
- IV. Bacchanalia exterminanda.
- V. Concione funebri sepelitur Bacchus cum bacchanalibus.
- VI. Stulti vituperandi.
- VII. Stulti laude digni.

VIII. Documenta.
IX. Mysteria.

CONCIONES AUCTARIL.

- I. Inane studium eorum, qui hoc tempore sectantur mundi gaudium.
- II. Mundus per hos dies pietatis obstrepens non audiendus.
- III. Cæcitas mundi per hos dies.
- IV. Convivium Christi et diaboli.
- V. Reprobi a semita virtutis declinantes, variis ex causis miseri et cæci.

CONCIO I.

QUA RATIONE PECCATORES HOC TEMPORE CHRISTO PASSIONEM SUAM RENOVENT.

- I. Qui Christum tradant, seu vendant. — II. Qui illudant. — III. Qui conspuant. — IV. Qui flagellent. — V. Qui crucifigant. — VI. Qui tradant cum gentibus illudendum.

THEMA.

Ecce ascendimus Jerosolymam, et Filius hominis tradetur gentibus, et illudetur, et conspuetur, et postquam flagellaverint, occident eum. Luc. XVIII.

Nescio sane quonam modo aptius hunc inci-

piam sermonem, præterquam illis ipsis Domini verbis: *Ecce ascendimus Jerosolymam, et Filius hominis tradetur, etc.* Ecce inquam, ascendimus ad templum quadragesimæ, et memoriam passionis Domini, siquidem Ecclesia jam a dominica septuagesimæ omisit cantica lætitiæ, et assumpsit vestes lugubres, præparata se ad funus sponsi, deplorat lapsum primi parentis, peccata et exilium nostrum. Et interim tamen ecce hoc tempore Christus traditur, illuditur, conspuitur, flagellatur et occiditur denuo, quodque plus est, a Christianis, et ante passionis suæ memoriam, dum gravibus eorum sceleribus offenditur, plusquam toto anno. Vidisti nimirum, Domine, te